

Distributio libri.

Partes primariæ sunt duæ. *Prior* continet historiam Egressus: Sed distingui debet in certos locos, quales hi sunt. *Primus* locus, de conditione populi in Ægypto, post mortem Iosephi. *Secundus* locus, de persona ducis populi Dei, in qua describenda observatur eius natiuitas, educatio, studia, fortuna, vocatio, & vocationis confirmatio per signa insolita. Atque hæc vsque ad caput 5. *Tertius* ergo locus est de quæstione educendi populi, quæ tractatur apud Regem. Et quia Rex saluum conductum negat, non solum argumentis, sed etiam signis & portentis cum Rege agunt. Durat hæc tractatio vsque ad caput 13. *Quartus* inde locus est τοῦ ἐξοχθῆν, hoc est, quomodo populus sit egressus ex Ægypto. Huc pertinent ista: tempus egressionis, memoria liberationis, iter ad mare, mutatio voluntatis apud Regem, induratio, murmur Iudæorum, oratio Mosis, diuisio maris, transitus populi, ingressus Ægyptiorum, & eorum submersio, & demùm gratiarum actio populi Dei, pro beneficio accepto. Atq; hæctenus historia exitus, à qua totus liber denominatus est.

Posterior igitur pars ad finem cap. 15. est, continens historiam peregrinationis per loca deserta, quæ rectè distingui potest per castra & stationes. *Itaq; prima* migratio fuit ad
 aquas